

presumpserit vel racione dicte consuetudinis seu potius corruptele extra prefatum iudicium contra clericos in prejudicium ecclesiastice libertatis aliquid attemptaverit], preter penas a sacris imperialibus et canonicis sanctionibus eis inflictas decernimus hoc imperiali edicto ipso facto infames et omni honore privatos nec ad placita vel consilia nobilium aliquatenus admittendos [et actorem vel actores tales a jure suo cadere ac iudicatum non tenere iudicemque iudicandi postestate privatum et bannum imperiale incidisse pronunciamus. Verum quia parum esset iura condere, nisi essent qui tuerentur, eadem imperiali auctoritate predicta universis principibus archiepiscopis episcopis ducibus marchionibus comitibus baronibus capitaneis potestatibus et specialiter Coloniensi et Moguntinensi archiepiscopis ac Monasteriensi Paderburnensi Osnabrugensi et Mindensi episcopis necnon duci Saxonie ac lantgravio terre Hassie necnon de Marcha, de Hoya, de Bentheim, de Tekenemborg comitibus quibus et cuilibet eorum vices nostras comittimus in premissis per presentes sub optentu imperialis gracie precipimus et mandamus, quatenus tocies quociens pro parte dictorum prelatorum canonicorum et clericorum vel alicujus ipsorum fuerint requisiti, eisdem pro toto suo posse assistant et faciant, quod premissa committentes quicumque fuerint penis predictis puniantur realiter cum effectu, quatenus ceteri exemplo illorum perterriti similia de facili non attemptent. preterea omnes et singulos ecclesiarum seu ecclesiasticarum personarum predictarum vassallos ac feudatarios, cujuscumque status gradus ordinis vel conditionis existant, qui contra ecclesias ac personas ecclesiasticas earumdem, a quibus feuda eorum tenent, aliquid fecerint de premissis seu ea facientibus, si propter hoc excommunicati denunciantur, vel alias astiterint quovismodo, dummodo de hoc servato juris ordine convicti fuerint, denunciamus ac decernimus eo ipso seu feudis seu beneficiis esse privatos eosque presentis constitutionis edicto privamus perpetue, dantes ecclesiis seu ecclesiasticis personis antedictis dicta feuda concedendi aliis personis laicis fidelibus et utilibus liberam facultatem]. Volumus eciam hortamur et requirimus episcopos et prelatos ecclesiasticos, ut hanc nostram legem et constitutionem in synodis et ecclesiis publicari procurent¹⁾, ne in premissis excedentes per simulatam ignoranciam suas malicias valeant excusare. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostre cassacionis irritacionis annullacionis inhibicionis necnon pronunciacionis et declaracionis paginam infringere aut ei ausu temerario quomodolibet contraire sub pena nostre imperialis indignacionis gravissime necnon quinquaginta marcharum auri purissimi,

1) *procurent* et requisiti execucionem personarum et sententiarum denuncient, *ne*.